12. Crevit aliquorum nostrorum Nobilium presumptio, ut nullam Legem et nullum ordinem observent, nullamque penam metuant, nullam etiam obedientiam, atque nullam reverentiam habeant, propter quod Providendum penitus est, quod ultra illos quibus Regimen Civitatis commissum est etiam reperiantur, et sit semper presentes in Consilio Magno illi quibus observatio ordinum C. X. specialiter commissa est, et videant omnia, que in illo gerantur contra ordines istius Consilii, et obvient, ne pratice scandalose, et periculose Status ulterius procedant, immo puniantur omnes Contrafacientes, sicut per Consilia Statutum est.

Vadit Pars, quod Capita Cons. X. que sunt, et pro tempora fuerint sub debito Sacramenti, et sub pena Ducatorum 100. pro quolibet, exigenda per Inquisitores, et per quemlibet ipsorum teneantur saltem duo eorum semper venire, et stare in M. C. et facere pro debito offitii Provisionem, quod ordines istius C. X. serventur, et rationibus, et respectibus suprascriptis. Verum in Primo M. C. teneantur hac prima vice, omnia ipsa tria Capita venire, et legi facere Partes istius Consilii, que legende et ille Cujus erit hebdomada, dicere in M. C. in Arenga cum illis pertinentibus verbis, et rationibus que sibi videbuntur, quod omnes velint obedire, et quod propter istam Causam ad Consilium missi sunt, ut non modo videant si Contra fit, immo etiam audiant Contientias, que sibi fuerint de illis, qui contra facerent, et puniantur Contrafacientes secundum ordines, et leges Civitatis.

Illa autem Capita, que erunt per tempora, teneantur in primo M. C., et etiam in Consilio Rogatorum, quod fiet post suam electionem, legi facere Partes, et ordines predictos pro omnium informatione.

Insuper addatur, quod ultra penas statutas delinquentibus, si in M. C. fiat conscientia, quod aliquis, qui remansisset Contrafecisset Ordinibus Cons. X. ex nunc sit captum, quod cassetur, et Cancelletur, et ille qui varyeando medietatem Consilii post illum habuisset plures Ballotas, aliis succedat, et remaneat firmus.

1761.